Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8162
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

65

et agresta, et sanich algebani, et sanich anabath, et omnia que diximus in capitulo
egestionis colerice. Illius autem qui fit in intestinis inferioribus signa
sunt quod est dolor in intestinis inferioribus umbilici et sequitur egestio fecis
punctura, et non est vehementis commotionis cum musillagine et sanguine
et cura eius est omnia que diximus de clisteribus sedativis facientibus
conglutinationem. Excoriationis autem que fit ex flate salso signa sunt quod
fit post corizam et catarrum, et non est cum ea in egestione sanies plurima
neque color neque rubedo neque viriditas, immo fleuma, et viscositates neque
acuitas in est que purgat eam et ventositas cum est plurima. Et cura eius
est semina acuta, ut nasturcium decoctum cum aqua et oleo, et tenetur caput
cum eis que diximus in capitulo prohibitionis catarri. Et si fuerit in intestinis
inferioribus, ponatur in clisteri res calefacientes parum de illis quas
diximus, et ponatur clistere sedativum quod non infrigidat. Ista autem ex- no
melia est mala ... et signa eius sunt punctura assidua et egestio
nigra ex qua terra bullit et odoratur ex ea odor aceti, et hec excoriatio
si antiquatur non sanatur. Si vero fuerit non antiqua tunc cura eius est
firme in potu, scilicet lenia calida, et dentur in hac excoriatione res
acetose, et dentur facientes glutinationes, sicut vitelli ovorum et rizi cum
adipe caprarum et cum amigdalis frixis et cum papavere. Et omnes excoriationes
que sunt in intestinis inferioribus curantur cum medicinis sumptis desuper clisteri-
zantur. Illis autem que sunt in intestinis superioribus parum confert clisteri.
Illa autem excoriatio que est cronica putrida, sive sit fleumatica sive colerica
sive melancolica indiget clisteribus acutis ex eis que diximus in medicinis
que abstergant vice una et eis que constringunt vice alia. Excoriationis
que in ano fit et est tenasmon signa sunt frequentia assellationibus paru-
te sicut sputum vel gravitas cum dolore ledente propter anum et illud cum quo
egreditur egestio non est proportionatum cum fece. Et iuvantur habentes eam suppo-
sitione collirii plurimis reliquis curationibus, et ego dicam collirium tenasmon.

Colica passio fit aut ex retentione fecis — Cap. de colica passione
aut ex retentione ventositatis. Et retentione quidem fecis fit ex
siccitate et siccitas fit aut propter siccitatem ciborum ipsorum aut pravitate
qualitatis corporis aut multitudine exitus urine aut vehementiam raritatis
corporis aut multitudine laboris aut propter vehementiam caliditatis aeris.

65